

ordinata intelligentia scripturarum, ad haec devotae orationis studium, virtus prophetandi, divinae consolationis praerogativa et miraculorum gratia velut septem lapides pretiosi coronam capitis eius nunc in caelis adornant vel quasi septem sigilla caelitus missa et veritatem confirman-
tia ipsius vitam canonizatione dignam ostendunt et predicant. Hae, inquam, virtutes sunt, quae fulcimentum fidei offerunt, caritati vero augmentum et sanctae spei vigorem. Invenient etiam, universa opera servi Iesu Christi in manu domini fuisse directa, utpote cuius alloquio et consilio sunt inchoata, eiusdem adiutorio fuere pariter consummata. Corpora^m etiam eorumdem operum lucida fuerunt, quia a lucido oculo intentionis rectae processerunt. Verumtamen sicut de stella luminosa nube oblecta procedunt radioli virtute sui luminis nubis obstaculum utcumque penetrantes, sic tota vita beati Conradi divinitus irradiata, sicut in se est, nequaquam effundi potuit, sed tantum opera exterioris hominis ad exteriores sensus hominum nutantia utcumque ex parte digeri potuerunt. Praesertim cum illa vita invisibilis viventis et loquentis in eo Christi, sicut in se est hominibus incognita, ita non erit nostro sermone exponenda. Sicut etiam de vena viventis aquae, quae obstructa est obiectu lapidis vel tenacis terrae, per subtilissimas cavernulas profluunt rivuli, sic de vita servi dei Conradi in corde confessorum clausa et multo tempore silentio tecta miraculorum duntaxat rivuli et quaedam opera exteriora virtute divina derivantes ostendunt, venam plenam virtutibus suam esse originem. Numquid non vita eius plena erat virtutibus, qui more sanctorum patriarcharum et legislatoris vidit dominum facie ad faciem et familiare cum domino habuit colloquium sicut amicus ad amicum? Atque ut ea, quae diximus, luce clarius patescant, aliqua dicta confessorum eius et familiarium interseramus.

Cap. 38 [Testimonium trium virorum de vita beati Conradi]

Congregati sunt aliquando in nomine sanctae trinitatis hi venerabiles tres viri gratia mutuae consolationis habendae in Christo, quorum primus erat Henricus²⁴ abbas in Hegene, secundus Richol-

m) corporum W_I.

24) *Abt Heinrich (I.) von Haina 1268/1269 Juni 20 – 1270 April 26/ 1272 April 30. Vgl. UB Haina 1 (wie S. 20 Anm. 20) Nrr. 524, 533, 547, 581.*